

A turi sint, an venæ sectio alicui competat, dicent eam indicari à morbo, humore, ætate, viribus, regione, cœli statu, corporis habitu, anni tempore, vite conditione, & ab alijs huiusmodi infinitis; quum tamen ex Galeni doctrina vnicum duntaxat sit, quod vnum indicat; reliqua verò omnia, vel coindicare, quod est ostendere id quod indicat, vel impedire primo, quod est contraindicare vel secundario, quod est correpuñare, dicantur: alia verò sunt, que quoniam nullam huiusmodi habent vim permittunt exhiberi, quod querimus. Quin & ille communis multis error est, quod viçtum, vel remedia describant, aut decernant ægrotis nullo proposito indicante. Dicit enim forte quispiam esse opus adstringentibus, calefacentibus, auertentibus, aut vino, vel aqua, aut alio denique præsidio. Item morbos singulos certo numero auxiliorum abigi, nec tamen interim aliquid proponet ille, aut colligit ex his, quæ prius in collegio dixerat, quod suadeat id esse faciendum, quod quidem fit eo quod indicationum vis, & vñus ignoretur, sine quibus nulla agendi ratio in medicina constaret, nec aliquod medici officium, Galeno etiam authore, exerceri potest. Igitur medicus antequam B ad consultationes veniat, prænouisse debet, quæ, & quot sint, quæ indicent, quid præterea vnum quodque admittat; ut quid indicet conseruationem, quid ablationem, præseruationem, restaurationem, quid viçtum, quid remedium, quid alimentum, quid cibum, potum, alterantia, vacuantia, & quid in singulis generibus singula ostendat. Ut in vacuatione quid sensibilem, quid insensibilem; quid sanguinis detractionem, vel purgationem, aut aliud denique quod vacuet, insinuet. Postea verò quid his repugnare valeat, tenendum est; vt alia, quæ coindicant, & admittunt. Ex horum enim consideratione inueniemus an agendum; quid, qua materia, quali, quantaque sit opus, quo item modo, quoce ordine, & tempore, & in quo corporis loco ea vti possimus. Hæc quidem generali quadam tractatione in illo nostro opere sumus complexi, & alia, quæ singulis sunt propria forte aliquando prosequemur, ea inquam quæ ad vacuationem, nutritionem, aliaque vitæ præsidia spectant. Verum ne interim desit nostra industria rudioribus, uno exemplo quæ diximus de indicationibus, patefacere instituimus. Statuamus ergo hominem esse satis infirmis viribus, declinantis ætas, C tis, hirsuto, nigroque colore, gracili habitu, in quo amplæ venæ, & tumidae apparent, qui media ætate quartana febre cum duritie, & tumore lienis vna etiam cum vleribus profundis, depascentibus, nigricantibus in cruribus sit correptus; quorum quidem affectuum natura, genera, differentia, causæ, euentusque per signa in consultatione iam sint inuenta, adeò, vt nihil superfit, nisi vt queramus agendi rationem. Dicit profectò in hac re medicus ad hunc fere modum. Quum medendi omnis ratio perficiatur certis quibusdam scopis, & his, quorum beneficio scopos illos assequimur, constat quo ad scopos attinet eos vniuersos proponendos esse tanquam necessarios; videndum enim imprimis, in agendum sit. Deinde quæ, & quot præstanta, tertio quid ex multis primo loco faciendum, & sic deinceps referet (si velit) nouem illos scopos, redibitque ad primum, quem per indicationes hoc modo assequetur. Nam quoniam natura affectuum, de quibus agimus, huiusmodi est, vt nec hi desperati sint, nec tamen adeò leues, vt solius naturæ beneficio abigi valeant, indicant plane aliquid à medico agendum esse. Quid verò, & quot præstanta, ex differentia, & numero malorum indicatur. D Nam quoniam illa sunt præter naturam, indicabunt sui ablationem. Sunt autem quatuor potissimum affectus, qui peculiarem actionem, propriaque remedia indicant, tumor inquam, & durities lienis, febris quartana, vlera, & horum causæ. Quapropter ex numero affectum generatim indicantur necessaria esse quatuor auxilia, quæ quatuor malis succurrant. Ex quo patet numerum indicantium numerum remediorum ostendere; & quid præterea vnicuique conveniat. Nam tumor indicat, quæ illum auferant; qui quoniam durus est, mollientia ostendit necessaria, febris quæ refrigerent. Vlera, quæ carne repleant, vniuantque diuersas partes. Causæ verò cuiusque mali sua quoque indicabunt peculiaria auxilia, multitudo inquam, quod vacuet, cruditas quod concoquat, humoris acrimonia quod eam retundat. Partium intemperies, quæ noxiā materiam procreat quod illam auferrat, & denique causæ, quæ inuentæ sunt, & posite sua indicabunt remedia. Cui verò prius succurrentum sit, cuique deinceps ordo malorum ostendet, siquidem illud præcedere debet, sine quo reliqua fieri nequeunt. At nec febris, nec vlera, nec obstructions, nec tumor, nec intemperies tolli possunt, nisi prius venæ, quæ plenæ sunt, exinaniantur. A vacuatione ergo incipienda curatio, ita indicante causa, quæ sibi primum locum vendicat. Ac quum vacuantium plura sint genera, & differentiæ; constat equali, ac sensibili vtendum esse vacuatione, & propterea adhibenda esse, quæ id præstare possint. Nam quum sanguis abundet in corpore, qui paratus est affectus augere, sanguinem demendum esse intelligimus, atque eum quidem copiosum, quia multum abundant, indi- eante scilicet copia humoris quantitatē sui præsidij. Verum quoniam crassus est sanguis, latam sectionem postulat. Sic enim indicabit qualitatem remedij qualitas humoris. A vena au- tem extrahendus, quoniā in venis abundat, secundaque uena interna sinistri cubiti ut à toto cor- pore, maxime tamen à liene somite malorum, humor educatur. Hoc enim modo locus in- dicantium, locum indicabit remediorum. Eo uerò tempore sui vacuationem postulat sanguis, quo facile, & commodè exire potest. Quod si vereamur ne confertim irruat in partes affec-

Ioan. Argent. De Consultandi Rat.

G 4 Etas,